culum ducentenarij, ab anno 100 ante, usq ad annum 101. post natiuitatem illius, q Calendarium Gregorianum à Iuliano biduum differebat, eoq biduo hoc illud in numeratione dierum menstruorum succedebat: Quapropter 21. dies Æquinoctialis Martij in Gregoriano Calendario attigerat 23. diem eiusdem mensis in Iuliano, quem tamen Apostolica constitutio priorem fuerat, eumq in 22. Dystri Macedonici mensis, qui nobis erat Martius, reposuerat, Sicuti quoq factitatum à Concilio Nicaeno fuisse, ubi 21 pro 22. die [in quem plus Æquinoctium inclinauerat] receptus erat, manifeste apparet. Iuxta Apostolicum ergo Æquinoctialē in 22. Martij Iuliani collocatis saepius contigerat, quod Iudaei in N.º Enneadecaeteridis suae 5.º et 16.º non modo xiiij ☾, sed etiam ab ea postridianum Pascha s. primum diem Azymorum, qui fuit solennior, ante Æquinoctium suo plenilunio, celebrauerunt. Quod Pascha collatum cum superioribus annis, effecit ut ante elapsum unius anni, uel inter superius et hoc Æquinoctium, duo Paschata publicè habuerint, contra Legis institutum, quod semel tantum illud peragi, in unius anni curriculo, mandauerat. Ne autē hoc idem Christianis quoq usuuenirent, cauerunt illud SS. Apostoli, qui prohibuēre, ne ante 22. Dystri ipsi Pascha in ecclesijs suis celebrarent: sicut lib. 5. cap. 18. Constt. legimus.

EXERCITATIO TAB. IIII.ª AC V.ª, D. et E.

Quibus datus Anni cuiuscunq dies, in Veteri Iuliano Calendario, ante aut post natum Christum, qui fuerit in nouo Gregoriano, aut econtra datus in nouo Calendario quis in Veteri sit, explicatur.

HActenus in tribus Tabulis B. A et C sex Canonum Gregoriani Calendarij perpetui gymnasma absolutum fuit, supplemento praeterea adhibito Generalis operationis, non modo in posteriora sed etiam superiora tempora directo, pariter introducto usu Veteris Iuliani Calendarij: Quibus dignitas et praestantia unius ab altero clarius enitescit et cognoscitur. Nunc gymnasma utriusq Calendarij aliud subijcitur, quo transmutatio qualitatis unius exhibitae in altero conspiciatur. Unde conueniet Gregorianum plurimum fixum ratione motus ☉, Iulianum vero Mobile diiudicare: non enim in hoc aequè ut in illo Æquinoctium vernum in tot annorum myriades immotum prodant explicare. Tabulae in huius rej usum duae D. et E. sūt cōfectae, harum prior D. disponitur tribus maioribus columnis; quarum quilibet in medio seriem, primum ante, deinde post N. Christum, annorum continet: A quib. sebidia quae sunt versus sinistram, descriptionem noui Gregoriani, et quae versus dextram Veteris Iuliani Calendarij continent. Proximeq adponuntur utrinq characteres feriarum rubri, cū diebus menstruis, quibus ad sinistram Gregorianum in Iuliano, et ad dextram Iulianum in Gregoriano Calendario praesentib. adscriptis annis ordiuntur. Porrò angustum sebidium sequitur, quorum sinistrum distantiam anni capitum utriusq Calendarij sub signo ☉, alterum ad dextram

Anni

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id452964148/21 GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK